AD VIRGILIUM.

P. HOFMAN PEERLKAMP

S. P. D.

C. G. COBETO.

Non cogitaveram fore, ut Virgiliana mea tantum Bibliothecae vestrae spatium occupatura essent. Et tamen mihi Eclogas et Georgica iterata lectione repetenti nova rerum variarum silva pullulavit. Has, si in idem solum commode transferri posse arbitraris, transfer. Vale. Hilversumi XVI Iul. MDCCCLXI.

Eclog. I. 36.

Non unquam gravis aere domum mihi dextra redibat.

Ad discrimen inter *sinum* et *dextram* pertinent exempla Paullini Natal. III Felicis, pag. 52. *Quis gravis aere sinus relevetur, egente repleto.* Et Boëthii IV. 7. Hercules *Poma cernenti rapuit draconi Aureo laeva gravior metallo.*

Eclog. I. 54—56.

Hinc tibi, quae semper, vicino ab limine, saepes
Hyblaeis apibus florem depasta salicti,
Saepe levi somnum suadebit inire susurro.

Conieceram:

Hinc tibi aquae strepitu, et vicino ab limine saepes sq.

Hoc nonnihil confirmatur versu Ausonii ad Paullinum:

dant murmura rivi
Somniferumque canit saepes depasta susurrum.

Caeterum ingeniosa est verborum transpositio, quam tentavit E. Hoffmannus apud Ribbeckium: *Hinc tibi, quae semper florem depasta salicti Hyblaeis apibus, vicino ab limine saepes* sq.

Editionem Virgilianam Ottonis Ribbeckii, Vol. I. quae prodiit Lipsiae a. 1859. nunc primum vidi. Utilissimam ille operam praestitit omnibus, qui cognoscere cupiunt, quid veteres scriptores in Virgilio legerint, quid librarii in exemplaribus suis scripserint; praeterea vir doctus et ingeniosus ipse de suo non pauca adiecit, quae eximium interpretem testantur.

Ad locum Ovidii a me correctum, facit alter Ovidii Heroid. XVII. 5. Pro *Deo* correxeram *adeo.* Syllaba demta vel addita saepe manum scriptoris restituit. Phaedrus III. Prolog. 20—22.

Quamvis in ipsa natus sim paene schola,
Curamque habendi penitus corde eraserim,
Et laude invita vitam in hanc incubuerim.

Haec, ut leguntur, intelligi non possunt. Possunt, si ita legis:

Nec Pallade invita hanc in laudem incubuerim.

Dicit Phaedrus se studia poëtica tractavisse Minerva non invita: Ovid. III. Fast. 823. *Nec quisquam invita faciat bene vincula plantae Pallade; sit Tychio doctior ille licet.* Dactylus in quinto pede minus me offendit, quam ultima in *paene* producta, ob positionem debilem. Versus longe melior est:

Quamvis in ipsa natus paene sim schola.

Eclog. I. 61.

Et freta destituent nudos in litore piscis.

Quae disputavi, pisces destitui *invitos*, et rem esse minime inauditam, plane ea confirmantur ex Plinio H. N. IX. 5. *Tiberio Principe contra Lugdunensis provinciae litus in insula trecentas amplius belluas reciprocans destituit Oceanus.*

Eclog. III. 7.

Parcius ista viris tamen obiicienda memento.
Novimus, et qui te, transversa tuentibus hircis,
Et quo — sed faciles Nymphae risere — sacello.

Heynius: „*Parcius: ista*, ita distinguunt codd. nonnulli et Servius: atqui sic esse debebat: *ista viris te obiicere memineris.*" Ego tres versus sic esse distinguendos et explicandos iudico:

Parcius ista: viris tamen obiicienda. Memento,
Novimus, et qui te, transversa tuentibus hircis,
Et quo — sed faciles Nymphae risere — sacello.

Parcius ista loquere. Respondet ad vs. 3. *ipse Neaeram dum fovet.* Tu res Venereas mihi ne obiice. Si obiicis, viro tamen obiicere debes, qui mulierem. Si reprehendi propterea mereor, vir tamen sum, qui Neaeram foverim. Te autem, qui vir non sis, ista mihi obiicere non decebat. Memento, nam probe novimus, et qui te, et quo sacello. *Memento* reddit Theocriteum, *ἢ οὐ μέμνασ' ὅκ' ἐγών τυ κατήλασα; Ista, ταῦτα*, honeste res Venereas significat. Qui dicebant, fortasse signo aliquo clarius indicabant. Plautus Prolog. Amphitr. 104—106. ubi Mercurius de Iove:

Nam ego vos novisse credo iam, ut sit pater meus?
Quam liber harum rerum multarum siet.
Quantusque amator siet, quod complacitum est semel.

Ubi v. Gronov. Adde Mercat. IV. III. 37. *Nihil hercle istius quidquam est.* IV. v. 13. *Pol haud censebam istarum esse operarum patrem.* Servius: „*Parcius.* Melius hic distinguitur. Licet possit dici etiam: *parcius ista.* Sensus autem est: Noli valde haec obiicere; tamen scias viris fortibus obiiciendas rapinas." Ergo et olim, ut volebam, distinxerunt.

Eclog. VI. 9.

Non iniussa cano.

Servius: „vel ab Apolline, vel ab Augusto vel a Maecenate. Sive nihil altum mens inchoat." Martinus des Amorie van der Hoeven in *Emendat. in Virg. Schol.* ut alia multa, ita haec bene correxit: „*vel a Maecenate: ut.* Te sine nil altum mens inchoat." Sunt nempe verba Virgilii ex Georg. III. 42.

Eclog. VI. 24.

Solvite me, pueri; satis est potuisse videri.

Manilius V. pag. 114. *Vincentemque viros, et quam potuisse videri Virgine maius erat, sternentem vulnere primo.* Ostendi locum, si quis fortasse ex eo aliquid ad interpretandum Virgilium efficiat. conf. Scal.

Quae de verbo *posse* annotavi, iis haec addo: Ovid. Heroid. XII. 75. *Perdere posse sat est, si quem iuvat illa potestas. Sed tibi servatus gloria maior ero.* Seneca Troad. 25. *Victamque quamvis videat, haud credit sibi Potuisse vinci.* Valer. Max. VI, 6. *Claros illos fecerat hostium ducem vincire potuisse, sed multo clariores fecit, noluisse.*

Eclog. VI. 31.

ut his exordia primis
Omnia, et ipse tener mundi concreverit orbis.

Emendatio mea *ut his ex omnia primis*, confirmatur Cod. Palat. ut vidi ex Ribbeckio.

Eclog. VI. 46.

Pasiphaën nivei solatur amore iuvenci.

Conieci: *Pasiphaë in nivei.* Ribbeck. ex MS. Palat. notavit *Pasiphaë.*

Eclog. VIII. 4.

Et mutata suos requierunt flumina cursus.

Conieceram: *Et remorata suos requierunt flumina cursus.* Ribbeck. in MS. invenit *linquer.* et *liquerunt.* Unde coniecit: *Et remorata suos liquerunt flumina cursus.*

Eclog. VIII. 11.

A te principium: tibi desinet.

Ribbeck. in Palat. et aliis vidit *desinam.*

Eclog. IX. 1. Quod animadverti de transponendis personarum nominibus, viri docti multos scriptorum locos ea ratione emendaverunt. Restant alii emendandi, v. c. Senecae Medea 515.

Ias. *Hinc rex et illinc.* Med. *Est et his maior metus*
Medea. nos confligere certemus; sine,
Sit pretium Iason.

Gronovius dicit haec, omnium iudicio, esse interpolata. Conieci:

Ias. *Hinc rex et illinc: est et his maior metus,*
Medea, nos confligere. Med. *Certemus sine.*
Sit pretium Iason.

Magnus metus, inquit Iason, oritur a rege, sed maior inde, si nos confligimus. Respondet Medea: confligamus, certemus. Sine. Iason erit pretium victoriae.

Eclog. IX. 51.

Omnia fert aetas.

In Palat. SETAS. Ribbeckius coniicit *fers.* Elegantissime.

Eclog. X. 4.

Sic tibi, quum fluctus subterlabere Sicanos.

Verbum *subterlabere* in M. non est divisum. Iam Fogginius monuerat, et ex eo Wagnerus.

Eclog. X. 46.

Nec sit mihi credere tantum.

Emendavi *quantum*. Hoc est, *quot millia*, ut apud Propert. I. xii. *Tam multa illa meo divisa est millia lecto Quanta Hypanis Veneto dissidet Eridano.*

Georg. I. 7—16. Ordo erit concinnior, versibus ita positis: 7, 8, 9, 12, 13, 14, 15, 10, 11, 16.

Georg. I. 7.

vestro si munere tellus
Chaoniam pingui glandem mutavit arista,
Poculaque inventis Acheloia miscuit uvis.

Heynius: "Tellus *mutavit*, permutavit, ut ei tribuatur, tamquam actio, ea res, cuius tantum caussa et instrumentum fuit: pro glandibus vesci coeperunt homines frumentis." Ratio telluris, terrae, proprie ita dictae, nunc haberi non recte potest. Sensit Heynius, qui ista de *hominibus*, olim omissa, postea adiecit. Si tellus, *terra*, mutavit glandem arista, tellus non amplius profert glandes. Quod falsum. Si mutasset aquam *vino*, nihil deinde nisi vinum protulisset. Melius ergo *miscuit;* sed *miscuit* quoque solis hominibus convenit. Duplex autem significatio, ut et *terra* et *homines* simul cogitentur, verbis, ut nunc leguntur, non subest. Miror Virgilium non scripsisse:

vestro si munere vita
Chaoniam pingui glandem mutavit arista.

Sic Tibullus II. i. 37. *Rura cano, rurisque Deos. His vita magistris Desuevit querna pellere glande famem.* Auctor Culicis 133. *Quercus ante datae, Cereris quam semina, vitae. Illas Triptolemi mutavit sulcus aristis.* Recte *mutavit*, hoc est *vitae mutavit*, in usum vitae.

Georg. I. 24, 25.

Tuque adeo, quem mox quae sint habitura Deorum
Concilia, incertum est.

Illud mali ominis, quod est in *mox*, cernitur quoque in annotatione Servii ad vs. 32 et 34. Dictis scriptorum, omen vitantium, adde Valer. Max. pag. 74, 75, 760. ed. Torren. et Eumen. Panegyr. Constantin. 2. *Claudius, utinam diuturnior hominum recreator quam maturior Deorum comes.* Idem Eumen.

concilium tale ridiculo modo finxit in eodem Panegyr. 7. *Vere enim profecto illi superum templa patuerunt; receptusque est consessu coelitum, Iove ipso dextram porrigente. Quin imo statim sententiam rogatus, cui imperium decerneret, dixit, ut decebat, Constantium Pium.*

Georg. I. 47, 48.

Illa seges demum votis respondet avari
Agricolae.

Ambros. Epist. ad Valentinianum: *Quando ante vacuis avenis seges avari vota lusit agricolae.* In Cod. Rom. legitur *voti.* Credo MSS. fuisse, in quibus erat: *voti respondet avaro Agricolae.* Agricola *avarus voti*, ut Symmachus Epist. IX. 58. *Patres avaros esse voti.* V. Iuret. ad I Epist. 75.

Georg. I. 82, 83.

Sic quoque mutatis requiescunt fetibus arva;
Nec nulla interea est inaratae gratia terrae.

Virgilius hoc vult: non suaserim, ut agros cessantes lino, avena, vel papaveribus seras. Nam ea sunt nimis calida. Quamquam et hoc alternis fieri potest. Modo agros aridos, proventu anni praeteriti exhaustos, pingui fimo et cinere plus solito stercores. Arva, fetibus sic quoque mutatis, non farre sed lino consitis, requiescunt. Interea ex terra, lino consita, neque adeo cessante, fructum et utilitatem percipies. Sed quomodo *terra*, lino *consita*, dicitur *inarata?* *Inarata* est idem quod *cessans.* Atqui non *cessat* sed conseritur. Ergo et prius aratur. Fortasse legendum:

Nec nulla interea est in arata gratia terra.

Georg. I. 69.

Illic, officiant.

In MS. *offiant.* Huiusmodi compendia in MSS. Virg. ut in omnibus, sunt fons mille errorum. Ita v. c. Phaedrus I. IV. *Aliamque praedam ab alio ferri putans*, recipiet, quod scripsisse videtur, *Aliamque praedam ab alio portari putans.* Cogita PORRI et FERRI. Quid interpretes? Coniiciunt: *ferri deputans, perferri, ab alio cane ferri, ab alio se, alio ac se, ab altero.* Ita *datus* scribebatur pro *daturus, reditus* pro *rediturus.* V. Ernesti Tacit. Annal. II. 63. *Setus* pro *senatus, conlatus* pro *consulatus*, alia. V. Salmas. ad Lamprid. Heliog.

20. ut omittam Scioppium, Valesium, et qui de hoc genere corruptelarum egerunt. Sed res satis nota est; de Graecis quoque MSS. et librorum V. et N. T. in quibus v. c. *οἰκοδόμων* invenitur pro *οἰκοδομούντων*, *λέγων* pro *λεγόντων*, alia multa. Hinc si emendare liceret Lucae XVIII, 7. locus intelligeretur, qui nunc admodum obscurus est: *ὁ δὲ θεὸς οὐ μὴ ποιήσῃ τὴν ἐκδίκησιν τῶν ἐκλεκτῶν αὐτοῦ, τῶν βοώντων αὐτῷ ἡμέρας καὶ νυκτὸς, καὶ μακροθυμῶν ἐπ' αὐτοῖς;* Multa varietas in MSS. *μακροθυμεῖ*, in antiquissimo, *μακροθυμήσει*, *ἐπ' αὐτοὺς* caet. Lucas scripsisse videtur *μακροθυμούντων ἐπ' αὐτῷ*. Quum semel invaluisset ex ΜΑΚΡΟΘΥΜΩΝ *μακροθυμῶν* pro *μακροθυμούντων*, *ἐπ' αὐτῷ* mutatum oportuit in *ἐπ' αὐτοῖς*. Ista autem *μακροθυμία* tam de hominibus, quam de Deo adhibetur. Matth. XVIII, 26. Hebr. VI, 15. Iacob. Epist. V, 7; *μακροθυμήσατε οὖν, ἀδελφοὶ, ἕως τῆς παρουσίας τοῦ κυρίου. ἰδοὺ, ὁ γεωργὸς ἐκδέχεται τὸν τίμιον καρπὸν τῆς γῆς, μακροθυμῶν ἐπ' αὐτῷ.* Multa huiusmodi compendia reperiuntur in Cod. Ephraimi Syri: v. c. ΠΡΟΣΕΩΣ, ΚΑΤΕΣΑΤΕ, ΜΑΘΑΙ, ΑΝΑΚΕΙΝΩΝ, hoc est, ΠΡΟΘΕΣΕΩΣ, ΚΑΤΕΔΙΚΑΣΑΤΕ, ΜΑΘΗΤΑΙ, ΑΝΑΚΕΙΜΕΝΩΝ. Tale compendium, semel male suppletum, sententiam integri versus saepe corrupit, itaque unus error alterum parit. Exemplo sit Lucae X. 41, 42. *Μάρθα, Μάρθα, μεριμνᾷς καὶ τυρβάζῃ περὶ πολλά. ἑνὸς δέ ἐστιν χρεία. Μαρία δὲ τὴν ἀγαθὴν μερίδα ἐξελέξατο, ἥτις οὐκ ἀφαιρεθήσεται ἀπ' αὐτῆς.* Vide mihi MSS. In aliis verba *ἑνὸς δέ ἐστιν χρεία* desunt, in aliis legitur *ἑνὸς δέ ἐστιν χρεία ἤτοι ὀλίγων, ὀλίγων δὲ ὧδε χρεία ἐστι, ὀλίγων δέ ἐστι χρεία ἢ ἑνὸς, Μαρία γὰρ τὴν ἀγαθὴν, Μαρία τὴν ἀγαθήν.* In MS. esse potuit ΑΠΟΛΛΑ, significans ΑΠΟΛΛΥΜΕΝΑ. Librarius cogitans ΠΟΛΛΑ, literam initialem Α delevit, receptumque fuit *πολλά*. Si quando MS. inveniatur, exhibens: *Μάρθα, Μάρθα, μεριμνᾷς καὶ τυρβάζῃ περὶ ἀπολλύμενα. Μαρία τὴν ἀγαθὴν μερίδα ἐξελέξατο, ἥτις οὐκ ἀφαιρεθήσεται ἀπ' αὐτῆς.* non dubito, quin ipsam Lucae manum haberemus. Opponuntur *τὰ ἀπολλύμενα* et *μερὶς ἥτις οὐκ ἀφαιρεθήσεται*. Iesus idem dixit apud Ioan. VI, 27. *ἐργάζεσθε μὴ τὴν βρῶσιν τὴν ἀπολλυμένην, ἀλλὰ τὴν βρῶσιν τὴν μένουσαν εἰς ζωὴν αἰώνιον.* Conf. Luc. IV, 4. Ioan. IV, 31. Graeci patres cibos istos appellant *ἐδέσματα ἄφθαρτα καὶ ἀείζωα.*

Eleganter Lucianus in Nigrino 33. *καὶ μὴν κἀκείνους διεγέλα, τοὺς θαυμάσιόν τινα τὴν σπουδὴν περὶ τὰ δεῖπνα ποιουμένους, χυμῶν τε ποικιλίαις καὶ πεμμάτων περιεργίαις. καὶ γὰρ αὖ καὶ τούτους ἔφασκεν ὀλιγοχρονίου τε καὶ βραχείας ἡδονῆς ἔρωτι, πολλὰς πραγματείας ὑπομένειν.* Maria meliorem cibum, meliorem *partem* elegit. Nota in hoc genere sunt *μερίς* et *pars.* Appul. Metam. X. p. 703. *Partes opimas quasque devorabam, et rancidiora seligens, abligurribam dulcia.* Ubi melius legeretur: *partes optimas.*

Georg. I. 102.

nullo tantum se Mysia cultu
Iactat.

Emendavi: *nullo tantum se Mysia coelo Iactat.* In Gud. est *culto.* In alio MS. *moesia cultu* in rasura. V. Ribbeckium.

Georg. I. 203.

Atque illum in praeceps prono rapit alveus amni.

In Rom. *trahit.* Hoc quoque vidit Iuvencus I. *Arripit hos, pronosque trahit, velut impetus amnis.* Burm. et alii recte tuentur *rapit.*

Georg. I. 248.

obtenta densantur nocte tenebrae.

Exempla laudata his augeo. Manil. III. *At quum obducta nigris nox orbem texerit alis.* Eleganter Iuvencus II. *Iamque dies prono decedens lumine pontum Inciderat, furvamque super nox coerula pallam Sidereis pictam flammis per inane trahebat.*

Georg. I. 275.

lapidemque revertens
Incusum, aut atrae massam picis urbe reportat.

Lapis *incusus* non facile intelligitur. Conieci: *in cotem.* Reportat lapidem, unde cos fiat. Cotis multiplex usus in re rustica. Videantur Varro et alii, et Plinius in H. N.

Georg. I. 297, 298.

At rubicunda Ceres medio succiditur aestu:
Et medio tostas aestu terit area fruges.

Apud nos Ceres nunquam medio aestu succiditur, quia tum grana ex aristis decidunt. Eligimus matutinum et vespertinum tempus. Idem faciebant in Italia. Quantum aestus noceat, animadvertit Columella II. xxi. *sed quum matura fuerit seges,*

ante quam torreatur vaporibus aestivi sideris, qui sunt vastissimi per ortum caniculae, celeriter demetatur. Nam dispendiosa est cunctatio. Deinde, quod grana, et ipsae spicae culmis arentibus et aristis celeriter decidunt. Et messores aestu meridiano quiescunt, et moreto suo vescuntur, Eclog. III. 11 ubi est *rapido aestu.* Legendum puto:

Nec rubicunda Ceres medio succiditur aestu:
At medio tostas aestu terit area fruges.

Si quis totum locum considerat, is hanc esse sententiam videbit: multa melius fiunt nocte vel mane. Tunc quoque Ceres succiditur, non medio aestu, at medio aestu teritur in area. Et sic, quia est contrarium, bene repetitur *medio aestu:* non bene repetitur, ubi non est contrarium.

Georg. I. 399. Hic notavi duos Prudentii locos, quorum unus facit ad coniecturam, qua, pro *ore soluto* reponendum putavi *lutoso,* alter ad Valerii Flacci regna *lingua et cultu dissona,* ut corrupta restitui. Prudent. Cathem. X. 649. *margarita spargere Christi vetamur inter immundos sues, Lutulenta sanctum ne terant animalia.* Idem in II contra Symmachum: *Discordes linguis populos, et dissona cultu Regna volens sociare Deus.*

Georg. I. 465.

Quum caput obscura nitidum ferrugine texit.

Corn. Severus de Aetna 605. *Haud aliter quam quum saevo Iove fulgurat aether Et nitidum obscura coelum caligine torquet.* Ubi Scaliger vult *torpet.* Ego *terret* corrigo. Severus totum h. l. Virgilii ante oculos habuit. In *terret* expressit vs. 466. *Impiaque aeternam timuerunt saecula noctem.* Eundem versum cogitabat Prudent. Cathem. p. 68. *Sol refugit, et lugubri sordidus ferrugine Igneum reliquit axem, seque moerens abdidit. Fertur horruisse mundus noctis aeternae chaos.*

Georg. I. 457, 458.

neque illa quisquam me nocte per altum
Ire, neque a terra moveat convellere funem.

Alii *moneat.* In *moveat* plus est, atque huic loco magis convenit. Utrumque verbum coniunxit Terent. Andr. I. v. 45 sq. *adeone me ignavum putas? Adeone porro ingratum, aut inhumanum aut ferum, Ut neque consuetudo neque amor, neque pudor*

Commoveat neque commoneat, ut servem fidem? Ubi Donatus: "Αὔξησις *ad maiora.*" Si *commovere* est *αὔξησις commonendi*, verba videntur esse transponenda: *neque pudor Commoneat, neque commoveat, ut servem fidem?*

Georg. I. 512, 513.

Ut quum carceribus sese effudere quadrigae,
Addunt in spatio.

Conieci: *cursum effudere.* Cicero de Oratore I, 32. opponit eos, qui *sunt in cursu* iis, qui spatium ingrediuntur.

Georg. II. 16.

atque habitae Graiis oracula quercus.

Servius: "Habitae autem Graiis, vel, quasi non credens, dixit, vel, quasi Italus, qui loca illa nesciret, vel revera quondam habitae, quia illo tempore iam silebant." Ambiguum sane verbum, quod triplici modo accipi possit. Quanto simplicius:

atque aditae Graiis oracula quercus.

Graeci adibant quercus, quae erant oracula. Ovid. III Amor. X. 9. *Sed glandes quercus, oracula prima, ferebant.* Homerus Odyss. *ξ*, 327. *Τὸν δ' ἐς Δωδώνην φάτο βήμεναι, ὄφρα θεοῖο Ἐκ δρυὸς ὑψικόμοιο Διὸς βουλὴν ἐπακούσῃ.* Pro *habitae* Erfurt. *alte*, pro *altae*, ut Heynius putat. Quod etiam vulgato melius esset.

Georg. II. 22.

quos ipse via sibi reperit usus.

Volebam: *una.* In Med. UIA. *Una* autem est idem quod simul cum Natura. Serv. ad Georg. III. 404. *Una pasce:* una *cum pecore.* Bentleius ad Terent. II. vi. 11. praetulit: *Etenim ipsus eam rem recta reputavit via*, alteri scripturae: *Etenim ipsus secum eam rem reputavit via.* "*Recta via*, passim apud Nostrum ac Plautum: *via* absolute, nusquam. Et, quod Donatus hic interpretatur, *via*, *consilio*, *ratione*, id nihil refert; sic enim exponat, etiam qui *recta via* hic legit." Ostendi neque apud Virgilium sic simpliciter *via* esse positum.

Georg. II. 49.

Quippe solo natura subest.

Ex *soli*, quod est in alio MS. feci *ollis.* Ad sententiam pertinent ista Ciceronis de Oratore I. vi. *Etenim ex rerum cognitione*

efflorescat et redundet oportet oratio: quae nisi subest, res ab oratore percepta et cognita, inanem quandam habet elocutionem et paene puerilem. Symmachus Epist. I. 1. *Quidquid assumitur, proprium non putatur.*

Georg. II. 82.

Miraturque novas frondis et non sua poma.

Ex MSS. *miratasque* et aliis corruptelis, emendavi *mirata ipsa.* Exemplis laudatis adde Prudentium Apotheos. 485. *ipse suas miratur vertice laurus Cedere.* Ambros. Epist. ad Valentin.: *operum laeta felicium, dum messes suas et ipsa miratur, explevit voti satietate ieiunium.*

Georg. II. 99.

cui non certaverit ulla
Aut tantum fluere, aut totidem durare per annos.

Ista imitatur Ammian. Marcellin. p. 22. *Hanc nobilitat Antiochia, mundo cognita civitas, cui non certaverit alia, advectitiis ita adfluere copiis et internis.*

Georg. II. 126.

Media fert tristis succos, tardumque saporem
Felicis mali.

Et *tarda* praecedit in vs. 125. et interpretatio *tardi* saporis, tamquam diu palato immanentis, quamquam unice probabilis, vereor ut per Latinitatem admitti possit. Wakef. coniiciebat *asprumque*, Burm. *durumque*, Reisk. *sardumque.* Mihi in mentem venit *acidumque;* ut III Georg. 380. *acidis sorbis.*

Georg. II. 141.

satis immanis dentibus hydri.

Severus de Aetna 20. *Sparsumve in semine dentem.* Ubi Scaliger omnino recte emendavit *in semina,* quia dentes vicem seminum fuerunt. Iacobus dicit: „*In semina* si spargerentur dentes, semina ab iis eadem provenire voluisset." In semina pro *ut semina,* tamquam semina, explicavit Burm. Anthol. Lat. T. I. p. 271. et Ruhnk. in Praefat. Lexici Schelleriani.

Georg. II. 156, 157.

Tot congesta manu praeruptis oppida saxis,
Fluminaque antiquos subterlabentia muros.

Haec cogitabat Prosper Tiro, de Prov. Dei: *Non castella petris, non oppida montibus altis Imposita, aut urbes amnibus aequoreis.*

Georg. II. 167, 170.

Haec genus acre virûm Marsos, pubemque Sabellam,
Adsuetumque malis Ligurem, Volscosque verutos
Extulit: haec Decios, Marios, magnosque Camillos,
Scipiadas duros bello: et te, maxime Caesar.

Si quis mecum sentiat, duram esse coniunctionem *Decios, Marios*, is fortasse dignius Virgilio putet: *haec Deciosque mares, magnosque Camillos Extulit.* Horat. Epist. I. I. 64. *Et maribus Curiis et decantata Camillis.* Dubito quoque, an Virgilius *Marium* sic posuisset in mediis Deciis, Camillis, Scipionibus, Augusto. Ita et Decii suo epitheto ornantur, appellati *mares*, ut Camilli *magni*, Scipiadae *duri bello*, et Caesar *maximus.*

Georg. II. 285—287.

Non animum modo uti pascat prospectus inanem:
Sed quia non aliter vires dabit omnibus aequas
Terra, neque in vacuum poterunt se extendere rami.

Multa varietas in MSS. *inani, inane, inanis.* Errores orti videntur ex verbis male transpositis, et Virgilius dedisse:

Non animum modo uti prospectu pascat inani,
Sed quia non aliter vires dabit omnibus aequas
Terra.

Terra, ita paribus numeris viarum dimensa sit, non modo propter pulchriorem prospectum: sed quia aliter vires aequas non dabit. Eadem est forma vs. in Aen. I. 463. *animum pictura pascit inani.* Virgilius versus nonnullos repetit, uno tamen alterove verbo mutato.

Georg. II. 299.

neve flagella
Summa pete, aut summa destringe ex arbore plantas;
Tantus amor terrae est;

Locus difficilis. Apparet ex varia virorum eruditorum interpretatione. Fortasse melius sic intelligetur:

neve flagella
Summa pete; ast ima destringe ex arbore plantas;
Tantus amor terrae est.

Explico verbis Heynii: „Surculos, quos defigere velis, non ex superiore vitis parte petendos esse ait. Melius enim pro-

veniunt surculi, ex inferioribus seu vitis seu arboris partibus sumti. Adeo magna, notabili aliqua consuetudine telluris tenentur illae inferiores partes, ut laetiorem ex iis ubertatem, quam ex summis partibus, exspectare possis."

Georg. II. 291—297. Transpositionem versuum a me propositam, iuvat annotatio Donati ad Terent. Phorm. I. II. 56. *Capillus passus, nudus pes, ipsa horrida.* „Quasi extra ipsam sit, id quod dixit, *capillus passus, nudus pes.* Tale est apud Virgilium: *Tum fortes late ramos et bracchia tendens Huc illuc, media ipsa ingentem sustinet umbram.*" Quae in Virgilio praecedunt, tam sunt *extra ipsam,* quam *tum fortes late ramos* sq.

Georg. II. 331.

Superat tener omnibus humor.

Omnia arva, sinum laxantia, accipiunt magnam ex sacro connubio seminis copiam, unde gravidantur. Ad ea, quae disputavi, pertinet locus Ciceronis de N. Deor. II. 32. *Terra, gravidata seminibus, omnia parit et fundit ex se.*

Georg. II. 373—375. Hos versus ego delendos putavi. Ribbeckius annotavit: vs. 373—375. „Scriptis in eorum locum 376—379. deleri voluisse Vergilium, suspicatus sum lect. Verg. 5." Si Ribbeckius legerit, quae de tribus istis versibus

Cui, super indignas hiemes solemque potentem,
Silvestres uri adsidue capreaeque sequaces
Illudunt, pascuntur oves avidaeque iuvencae.

disputavi, fortasse mecum sentiet, Virgilio tales versus numquam potuisse excidere.

Georg. II. 476.

Quarum sacra fero.

Legebam *signa fero.* In Med. SANCRA. linea per N ducta. *Sacra* quoque in vs. 473 legitur.

Georg. II. 498.

neque ille
Aut doluit miserans inopem, aut invidit habenti.

Mutavi *Haud,* (haut) *doluit.* Imitatus est auctor Epigr. in Anthol. Burm. T. II. p. 420. *miseratus egentem Cur aliquem fracta persensi mente dolorem?* Hoc est: cur dolui et miseratus sum? ut Virgilius *doluit miserans.*

Georg. II. 505. Quod emendavi Senecam, mutans *cibus* in *scyphus*, hoc iam coniecerat Mitscherl. ad Horat. Carm. IV. VIII. 9.

Georg. II. 514.

parvosque nepotes.

Correxi *patriosque penates.* Exemplis adde: Virg. II. Aen. 217. *cape sacra manu patriosque penates.* Auctor Octav. 148. *cruore foedavit suo Patrios penates.*

Georg. II. 533—535.

sic fortis Etruria crevit:
Scilicet et rerum facta est pulcherrima Roma,
Septemque una sibi muro circumdedit arces.

Ultimum versum non esse Virgilii putabam. Si esset, posuisset, credo, ante vs. 534. Roma prius sibi circumdedit arces septem, tum facta est domina Italiae et mundi.

Georg. III. 96.

nec turpi ignosce senectae.

Si Virgilius voluisset non ignosce seni equo, sed abde domo, dimitte, vende: tum, credo, subiunxisset his versibus illos 120—122. *Quamvis saepe fuga versos ille egerit hostis, Et patriam Epirum referat, fortisque Mycenas; Neptunique ipsa deducat origine gentem.* Haec scripseram in superioribus ad h. l. Ribbeckius annotavit hoc voluisse Tittlerum in Comment. Brigensi Scholastica a. 1857.

Georg. III. 103—107.

Nonne vides, quum praecipiti certamine campum
Corripuere, ruuntque effusi carcere currus;
Quum spes arrectae iuvenum, exsultantiaque haurit
Corda pavor pulsans: illi instant verbere torto,
Et proni dant lora; volat vi fervidus axis.

Ista *quum praecipiti* sq. non habent apodosin. Heynius deesse in sententia putabat *ut.* Wagnerus interpretatur, tamquam Ciceroniana *audio, video quum.* Fortasse legendum:

Nonne vides, quam praecipiti certamine campum
Corripuere, ruuntque effusi carcere currus,
Quum spes arrectae iuvenum, exsultantiaque haurit
Corda pavor pulsans! Illi instant sq.

Nonne vides, quam praecipiti certamine campum corripuere,

quum emittuntur ex carceribus, et spes iuvenum sunt arrectae! Illi instant verberibus. Axis volat. *Viden ut, adspice ut, nonne vides ut,* post se habent indicativum et coniunctivum. Discrimen optime exposuit Wagnerus ad Eclog. IV. 52. In indicativo nempe sunt merae admonendi excitandique formulae, nullam ad subsequentia vim exserentes. Quod valet de *ut*, idem, puto, valet de *quam.* Plaut. Sticho II. I. 38. *Vide, quam dudum hic adsto, et pulto!*

Georg. III. 102. Annotationi inseratur locus Manilii V. p. 155. *catulos nutrire sagaces Et genus a proavis, mores numerare per artes.*

Georg. III. 147.

cui nomen asilo
Romanum est, oestrum Graii vertere vocantes.

Praeter exempla, quae attuli, multa sunt alia: v. c. Manil. II. *Daemonium memorant Graii. Romana per ora Quaeritur inverso titulus.* et: *Huic parti Dea nomen erit Romana per ora: Graecia voce sua titulum designat eundem.* Serenus Sammonicus de Medicina XX. *Et quae vulgari sermone Insana vocatur, Graecus hyoscyamon propria scit dicere lingua.* Nusquam illud *vertere vocantes* sic positum inveni. *Vertere* interdum significationem admittit *corrumpendi.* Donatus ad Terent. Eunuch. Prolog. 7. *Qui bene vertendo, et easdem scribendo male, Ex Graecis bonis Latinas fecit non bonas.* In linguam Latinam transferendo. *Plautus vertit barbare.* Aut *vertendo* corrumpendo." *Verto* rem, verbum, a vera eius conditione in aliam, hoc est, falsam, muto, corrumpo. Hoc in Etymologia (veriloquio) faciebat Varro, doctissimus ille Romanorum, qui linguam Latinam parum intelligebat. Quintil. Instit. I. I. 37. *Sed cui non post Varronem sit venia? qui* agrum, *quod in eo* agatur aliquid; *et* graculos, *quia* gregatim volant, *dictos, Ciceroni persuadere voluit; cum alterum ex Graeco sit manifestum duci, alterum ex vocibus avium. Sed huic tanti fuit vertere, ut* merula, *quia* sola volat, *quasi* mera volans *nominaretur.* Varroni tanti fuit illud vertendi, corrumpendi Etymologiam verborum studium, ut, eo iudice, *vel* merula *nominata esset, quasi* mera volans *avis.* Atque in eam fere sententiam interpretatur Gesnerus, fassus, tamen, sibi in consilii inopia, placere coniec-

turam Gallaei: *Varroni tanti fuit veritas.* hoc est, etymi investigandi studium.

Nota sunt veterum dicta de *falsis rerum nominibus*, amissisque *veris vocabulis*, ut v. c. *cautus* appelletur *timidus* sim. de qua re Cort. ad Sallust. Catil. 52. In eo Horat. Serm. I. III. 55. utitur composito *invertere. At nos virtutes ipsas invertimus*, hoc est: nomina virtutibus damus non iusta, sua, nomina vertimus, mutamus, corrumpimus. Et sic accipi poterat: animalculum, quod Romani vocant *asilum*, hoc Graeci minus recte vocarunt *oestrum*, verterunt, corruperunt, dantes perversum nomen.

Georg. III. 151, 152.

furit mugitibus aether
Concussus, silvaeque et sicci ripa Tanagri.

Vox, clamor, sim. aethera *verberant, feriunt, percutiunt;* an et *concutiunt?* Dubito. Iupiter coelum *concutit* tonitru, clamor *percutit.* Centies praepositiones in hoc verbo permutantur; v. Heins. ad Aen. VI. 475. Aliquis metu *percussus* et *concussus* recte dicitur. *Concussus* plus est, *σείεται, ἐλελίζεται.*

Georg. III. 162.

Continuoque notas et nomina gentis inurunt.

Donatus ad Terent. Hecyr. I. I. 9. *Vin' eximium, separatum ex omnibus.* "Proprie eximius porcus est, exemtus a grege, atque signatus macula aut nota." Quem ego versum posse servari transpositum iudicabam, hunc Ribbeckius deletum volebat.

Georg. III. 168. Mea annotatio, quae hic legitur, male a typotheta repetita est ex Georg. I. 168.

Georg. III. 253, 254.

Non scopuli, rupesque cavae, atque obiecta retardant
Flumina.

Praeter Claudianum, haec quoque ante oculos habebat Prudent. Perist. IX. 115. *Per silvas, per saxa ruunt, non ripa retardat Fluminis, aut torrens oppositus cohibet.*

Georg. III. 264, 265.

Quid lynces Bacchi variae, et genus acre luporum,
Atque canum? quid, quae imbelles dant proelia cervi?

Hos versus post vs. 257 ponendos arbitror. Ita, absolutis pecudibus, exemplum hominis in fine memorat.

Georg. III. 313.

Usum in castrorum et miseris velamina nautis.

Barbas et setas hircorum Servius et Philarg. de *ciliciis* interpretantur. Adde Ascon. Pedian. p. 95. „*Cilicia*, texta de pilis in castrorum usum atque nautarum."

Georg. III. 346—348.

Non secus ac patriis quondam Romanus in armis
Iniusto sub fasce viam quum carpit, et hosti
Ante exspectatum positis stat in agmine castris.

Emendavi *et hosti Ante exspectatum oppositis stant agmina castris.* Ribbeckius annotavit: „*In* omittit R. *agmina* P. Palat. ita intellegendum est: ante exspectatum positis castris stat Romanus in *agmina hostis.* Quod magis placet quam vulgata lectio: nam, si castra posita sunt, vix etiam *in agmine stare* dici possunt milites, *in agmine* autem *stant* etiam ante posita castra."

Georg. III. 480.

Et genus omne neci pecudum dedit, omne, ferarum.

Virgilius *pecudes* a *feris* distinguit, repetito *omne.* Quod secus est in Martiale Spectac. Epigr. 21. *Assuit immixtum pecudum genus omne ferarum.* Et in Anthol. Lat. Burm. T. II. p. 436. *Nec minus interea pecudum genus omne ferarum Musitat.* In utroque loco scribendum videtur *pecudum et genus omne ferarum.* Carmen illud in Anthologia truncatum est.

Georg. III. 384, 385.

omniaque in se
Ossa minutatim morbo collapsa cadebant.

Ita emendavi pro *trahebat.* Exemplis adde Valer. Maxim. VI. 2. *Carbonis quoque ira in se ipsa collapsa est.*

Georg. III. 498—501.

Labitur infelix, studiorum atque immemor herbae
Victor equus, fontesque avertitur, et pede terram
Crebra ferit: demissae aures: incertus ibidem
Sudor.

Quomodo equus labitur, et labsus terram crebra ferit pede? Legendum videtur:

Labitur infelix, studiorum atque immemor herbae
Victor equus, fontesque avertitur; aut pede terram
Crebra ferit, demissae aures sq.

Equus, olim saepe victor, nunc veteris studii immemor, labitur, humi procumbit, cibum et potum aversatus: aut, si non labitur, sed etiam stare potest, terram crebra ferit pede, aures habet demissas sq.

Georg. III. 512.

Dí meliora piis, erroremque hostibus illum.

Explicavi: Hostes ita errent in medicandis morbis! Pii sint prudentiores! Iuvat nonnihil Donatus ad Terent. Adelph. III. III. 78. *Numquid vis? Mentem vobis meliorem dari.* „*Meliorem* pro bona ac tolerabili posuit. Non enim bonam credit, ut meliorem optet. Sic Virgilius: *Dí meliora piis, erroremque hostibus illum!*"

Georg. III. 538, 539.

acrior illum
Cura domat.

Hic non recte dici de lupo putabam. Recte de homine, ut Pontius Paullin. Natal. Felicis I, *acrior illum Cura sui gregis urit.* Livius XXVI. 49. *alia me cura stimulat.* Ad praecedentia *nec gregibus nocturnus obambulat*, pertinet Scholion Comment. Cruq. ad Horat. III. XVI. *Nocturnis ab adulteris.* „Occultis. Noctis enim tempus eiusmodi crimini est aptum. Ut est: nec gregibus nocturnis obambulat. quod dicit, ut ostendat ibi nulla mala regnare." Sua Commentatorem memoria fefellit. Idem ad Epod. XVI. *Nec vespertinus circumgemit ursus ovile*, cogitavit Virgiliana: „nocturnus; quia per noctem lustrat ovilia." Virgiliana h. l. habentur: *Nec lupus insidias explorat ovilia circum.*

Georg. IV. 17, 18.

ipsasque volantis
Ore ferunt dulcem nidis immitibus escam.

Phaedrus, scriptor fabularum, est Latinitatis admodum castigatae. Virgilium, ut caeteri omnes, saepissime imitatur. Quod nunc in I, fab. 28 legitur: *Nidoque posuit pullis escam ut carperent*, hoc ipse sic concepisse videtur: *Nidoque implumi posuit, escam ut carperent.* Adde alterum Virgilii versum ex eodem hoc libro 513. *Amissos queritur fetus, quos durus arator Observans nido implumes detraxit.*

Georg. IV. 21, 22.

Ut, quum prima novi ducent eximina reges
Vere suo, ludetque favis emissa iuventus.

Est haec in MSS. varietas *cum vere novi, cum vere novo.* Neque interpretes *suo vere* uno modo accipiunt, vel, sibi grato et aptissimo: vel, quo ipsae natae sunt et adolevere, quove primum volatum tentant, fructusque colligunt, vel, vere apum, quod incipit a verno aequinoctio, cum homines ver incipere statuant V. Id. Febr. Mihi Virgilius scripsisse videtur:

Ut quum prima sui ducent examina reges
Vere novo sq.

Georg. IV. 54, 55.

Purpureosque metunt flores et flumina libant
Summa leves.

Heynius *metunt* elegantius putat quam *carpunt.* Ego fere vehementius puto, quam pro apibus: et coniicio:

Purpureosque thymi flores et flumina libant
Summa leves.

apud Horatium *carpunt thyma.* Lucretius III. 11. *Floriferis ut apes in saltibus omnia libant.* Valer. Max. I. 5. *Apes montem Hymettum thymi flore redolentem depastae.*

Georg. IV. 49.

Odor coeni gravis.

Appuleius de Mundo p. 368. *Videasque illam civitatem pariter spirantem Panchaeis odoribus, et graveolentibus coenis.* Ubi non cogitari putem *coenas,* sed varia genera *coeni,* quod scriptorem numero plurali expressisse, cuius fortasse ex antiquo scriptore habuit exemplum. Augustinus de Civitate Dei I. VIII. *Pari motu exagitatum et exhalat horribiliter coenum, et suaviter fragrans unguentum.*

Georg. IV. 62.

Huc tu iussos adsperge sapores.

Correxi: *Tu iucundos adsperge sapores.* In M. TŪ HŪC. Adde Phaedri III. 1. *Odorem quae iucundum late spargeret.*

Georg. IV. 114.

Ipse feracis
Figat humo plantas.

Melius puto *feraci Figat humo plantas.*

Georg. IV. 127. Quod ad h. l. emendavi in Oratione Cornelii *indivisa* pro *in diversa*, hoc iam fecerat M. des Amorie van der Hoeven.

Georg. IV. 221.

Deum namque ire per omnis
Terrasque, tractusque maris, coelumque profundum.

Olim correxeram *ire per omnia.* Hoc probasse Lachmannum ad Lucret. cognovi ex Ribbeckio.

Georg. IV. 230, 231.

prius haustu sparsus aquarum
Ora fove, fumosque manu praetende sequaces.

Legendum divinavi: *prius hausto sparsus aquai Rore, facem fumosque manu praetende sequaces.* Multae lectionum varietati accedit, quod pro *manu* in P. est *sinu,* quod de vase patulo intellectum duplici modo versui accommodat Ribbeckius, scribendo vel *ore fove et fumos sinu praetende,* vel *ore fove fumosque e sinu: Fax,* ut dicebam, est et ramus non *ardens.* v. Burm. ad Phaedri IV. 17. De fumo Apollon. Rhod. II. 7. ubi Schol. ἐπιπλέον λιγνυώδει καὶ σποδώδει καπνῷ καπνιζόμεναι ὑποχωροῦσι τῶν σίμβλων.

Georg. IV. 238.

animasque in vulnere ponunt.

Apes, dicit, laesae morsibus inspirant venenum. Ita Valer. Max. III. 2. *Inque plenae ultionis morsibus exspiravit.* Hoc est *in vulneribus* mordendo illatis, in morsa corporis parte. Exemplis, quae attuli, adiungo Plin. H. N. VII. 53. *Corn. Gallus Praetorius, et T. Aetherius, eques Romanus in Venere obiere. Et, quos nostra adnotavit aetas, duo equestris ordinis in eodem Pantomimo Myrrhico, tum forma praecellente.* Locus intellectu facillimus. Duo equites, in eodem Pantomimo, in eodem corpore, inter opus, obiere. Burm. ad Phaedri III. 8. frustra tentat: *in eodem Pantomimo ardentes,* vel *furentes,* vel *sub eodem Pantomimo Mystico.* Nomen Pantomimi erat *Myrrhicus,* vel aliud, nihil refert.

Georg. IV. 242—244.

Nam saepe favos ignotus adedit
Stellio, et lucifugis congesta cubilia blattis,
Immunisque sedens aliena ad pabula fucus.

Conieci *lucifugae blattae*, et interpretatus sum *congesta cubilia*, ipsarum apum sedes, in quibus mel. Prudent. II contra Symm. 1052. *nec congestum populatur acervum Curculio.* Ammian. Marcell. p. 127. *quod hae volucres* (apes) *post compositas sedes opesque congestas, fumo pelluntur, et turbulento sonitu cymbalorum.* Ibi *compositae* sedes sunt cubilia congesta Virgilii. Caeterum conferatur Terent. III. II. 84. *Viden, otium et cibus quid faciat alienus.* Ibi Faërnus laudat verba Dionysii, Romani Pontificis: *Vos otiosi comedere vultis alienum cibum.*

Georg. IV. 276.

Saepe Deum nexis ornatae torquibus arae.

In Gud. *ornate*, hoc erat, puto, *ornant e.* Sed facilius ex ORNATAE fit ORNATDE, ut conieci.

Georg. IV. 346.

Vulcani Martisque dolos et dulcia furta.

Hinc Prudent. I contra Symmach. 626. *qui restituendos Vulcani Martisque dolos Venerisque peroras.*

Georg. IV. 355.

Tristis Aristaeus Penei genitoris ad undam.

Errore typothetae editum a me est *undas.* Pro *Penei* Bentl. volebat *magni*, ego *nostri;* Ribbeckius *sacram*, ex vs. 319.

Georg. IV. 411, 412.

Sed, quanto ille magis formas se vertet in omnis,
Tanto, nate, magis contende tenacia vincla.

Emendavi *Tam tu*, ex Med. *tantu*, et sic legisse Donatum ad Terent. Hecyr. III. IV. 3. demonstravi. Ribbeckius edidit *tam tu*, et annotavit: „*Tam tu.* G. (schedae San Gallenses rescriptae). Conf. Aen. VII. 787. atque ita legisse videtur Donatus."

Eodem modo pro *natu* in Terent. Heaut. IV. I. 32. scribendum puto *tam tu.* Terentius: *Quanto tuus est animus natu gravior, ignoscentior.* Bentl. legebat: *Quanto tu me es annis gravior, tanto es ignoscentior.* Fortasse legendum: *Quanto tuus est animus gravior, tam tu es ignoscentior.* Quanto tu es sapientior, tanto sis ignoscentior.

Georg. IV. 481.

Quin ipsae stupuere domus, atque intima Lethi
Tartara.

Domus *Plutonia*, *silentum*, *inferna*, sim. sunt pervulgata. Hinc

menda, qua laborat Valer. Max. I. v. tolli potest. Pompeius, post cladem Pharsalicam: *appellens ad oppidum Paphum, conspexit in litore speciosum aedificium: gubernatoremque interrogavit, quod ei nomen esset: qui respondit κακοβασιλέα vocari. quae vox spem eius, quantulacumque restabat, comminuit. Neque id dissimulanter tulit. Avertit enim oculos ab illis tectis, ac dolorem, quem ex diro omine conceperat, gemitu patefecit.* In MSS. legitur *Cacobasileam, Kutiobasilea, Captiobasilea.* Guietus coniicit κακοβασιλείαν. Torren. κακοβασιλεία. Verum, ni fallor est, *Catobasilea,* hoc est κάτω βασίλεια, cuius scripturae vestigia supersunt in *Katiobasilea* et *Captiobasilea.* Malum omen est in κάτω. Erant, puto, in insula Cypro, duo splendida aedificia, palatia, unum τὰ ἄνω βασίλεια, interius, a mari remotum, alterum τὰ κάτω, inferius, inferum, in litore, ad mare. Talia aedificia nomine distinguebantur, quod ipse situs dabat, ut mari *supero* et *infero* sim. Atque in ea re ipsa non erat malum omen, sed calamitas sua Pompeio faciebat. Cur aedes istae ad mare *cacobasilea* essent appellatae, caussa vix probabilis afferri potest, quum in *Catobasilea* sit facillima. Loca regionis versus mare dici τὰ κάτω, opposita τοῖς ἄνω versus interiora, notum est. Latini autem, huiusmodi nomina Latine scribentes, articulum omittunt; ut *Coelesyria,* alia.



POLYBII LOCUS CORRECTUS.

Dorymachus Aetolus contumelioso dicto a Messeniorum Ephoro lacessitus apud Polybium IV. 6. οὐκ ἐτόλμα παρακαλεῖν τοὺς Αἰτωλοὺς εἰς τὸν κατὰ τῶν Μεσσηνίων πόλεμον διὰ τὸ μηδεμίαν ἔχειν ἀξίαν λόγου πρόφασιν, ἀλλ' ὁμολογουμένως ἐκ παρανομίας καὶ σκώμματος γεγονέναι τὴν ὁρμήν. Mendosum est παρανομίας, nihil enim deliquerant contra ius Messenii, sed petulanti ioco Dorymachi iram moverant. Itaque reponendum est ἐκ π α ρ ο ι ν ί α ς καὶ σκώμματος. Dixerat enim Messenius: νομίζεις γὰρ ἡμῖν σου μέλειν ἢ τῆς σῆς ἀνατάσεως, Βαβύρτα; ubi supple μέλειν (τι) ἢ τῆς σῆς κτἑ. Erat autem Βαβύρτας ἄνθρωπος ἀσυρὴς τῶν ἐξηρμένων τὸν ἄνδρα κατὰ πάντα τρόπον, sed pro ἐξηρμένων nulla dubitatio est quin ἐξηρημένων sit emendandum. C. G. COBET.